

Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad dissentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

Titulus IV. Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub Annuo Censu concedant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesiæ sub annuo Censu concedant.

SUMMARIUM.

1. Ultrum sub annuo Censu concedi possint Prælatura, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa potestas Spiritualis?
2. Rationes dubitandi.
3. Resolvitur negativa.
4. Argumentis contrarijs. respondetur.
5. Utrum vendi, aut pro Censu annuo locari possit Jurisdictionis temporalis?
6. An Prælatus à Vicario, sibi substituto in Beneficio incorporato Ecclesiæ sue, possit accipere, vel exigere Pensionem annuam sub titulo Absentie?
7. Pœnoe contravenientium textibus iſius Rubrice?

Hactenus generaliter actum de Simonia: subiiciuntur duæ sat's celebres ejus species, una, quæ in Ecclesiastice Jurisdictione, altera, quæ in Licentia docendi concessione committi potest: de hac posteriore agetur Tit. seq. de priore hic, ubi examinatur, utrum sub annuo censu Prælatura, Dignitates, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa Jurisdictione, & potestas spiritualis concedi possint?

2. Rationem dubitandi facit 1. c. fin. b. tit. ubi cum Ecclesia sub annuo Censu ad septimum annum concessa ante istius lapsum Conductorii ablata fuisset, ejus restitutionem Alexander III. imperavit. 2. potest ab Episcopo pro annua Pensione remitti Jurisdictione quæ eidem in Ecclesiam, vel Monasterium competebat, ut patet ex c. constitutus 6. de Relig. Domib. sunt autem paria quoad Simoniam remittere, & dare c. veniens 10. junct. Gloss. V. remittere de tē. & attest. & c. querelam 15. de Simon. igitur etiam concedi sub hujusmodi pensione potest. 3. pro spirituali Jurisdictione exercenda pecunia potest accipi, & non raro accipitur à Vicariis c. extirpanda 30. S. qui verò de præb. & Dign. atqui non magis dare, quām accipere temporale pro spirituali Simoniacum est, ut patet ex Definitione Simonia, quæ, ut Tit. prec. n. 3. vidimus, dicitur esse studiofa voluntas emendi, aut vendendi spirituale, vel spirituali annexum. 4. in Curia Romana solent vendi Clericatus Cameræ, & munera Auditorum Cameræ, quæ tamen habent annexam Jurisdictionem Ecclesiasticam, nomine Papæ exercendam, igitur etiam locari poterunt.

3. Sed his non obstantibus, dicendum, non posse sub annuo Censu, vel Pensione concedi Regimen, & Jurisdictionem, ac potestatem spirituali, Prælaturis Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis annexam. Patet ex Prælenti Rubrica, & textibus subjetis, ubi Alexander III. ejusmodi concessiones generaliter prohibet, & eos, qui illas faciunt, puniri jubet ademptione Ecclesiærum, sub annua Pensione concessarum. Concordat Trid. sess. 25. c. 11. de reform. ubi di-

citur, Non licet etiam Jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, nec Conduktoribus per se aut alios exercere, aliterque concessiones, etiam à Sede Apostolica facte, subreptitiae censeantur. Ratio est, quia sunt quid spirituale, aut spirituali annexum, quod pretio temporali æquiparati nequit. ita autem æquipararetur tam venditione, quam locazione pro pretio temporali, ergo &c.

Argumenta contra non evincunt intentum. Ad 1. in c. fin. cit. non agitur de Locatione ipsius Ecclesiæ, vel Prælaturæ, aut Jurisdictionis, & Administrationis his annexæ, sed de locatione fructuum, & obventionum duntaxat, quorum, uti & ipsorum prediorum, ex quibus illi proveniunt, Location ad modicum tempus Jure Decretalium antiquo permissa est, ut patet ex c. ad audentiam 9. de reb. Eccl. non alien. c. vestra 2. de Locat. & dictum est Libr. 3. tit. 18. n. 28. & seqq. Ad 2. quando c. constitutus cit. occasione remissa Jurisdictionis Ecclesiastice datur, & accipitur pecunia, ea non accipitur tanquam pretium, & estimatio remissa Jurisdictionis, sed in ultiis, & præterite subjectis recognitionem, & concessæ libertatis signum juxta c. receptimus 8. de Privil. Gloss. in c. constitutus cit. V. recompensationem fin. Suar. l. 4. de Simon. c. 24. n. 37. Wiefner hic n. 5. Ad 3. Vicarij pecuniari, five salario non recipiunt tanquam pretium, five compensationem exercitij Jurisdictionis, sed ut stipendium congrue, & sibi debitæ sustentacionis can. charitatem 45. caus. 12. q. 2. c. pervenit 28. de Appell. & c. de Reitoribus 3. de Cler. agrot. ne cogantur proprijs stipendijs militare contra doctrinam Apostoli 1. Corinth. 9. v. 7. Ad 4. in Clericatu Cameræ, & Auditoratu distinguendum est inter Jurisdictionem spirituali, & emolumentum temporale: illa absoluere sine Simonia non potest vendi; istud vendi potest, si Papæ autoritate ab Officio spirituali separetur. Angel. V. Simonia 2. n. 2. Suar. l. 4. de Simon. c. 20. n. 6. Palao tr. 17. D. 3. p. 12. n. 7. Gonzal. in c. 3. b. tit. n. 5. Zœf. hic n. 2. Wiefner ibid. n. 6.

n. 6. Magnif. P. Schmierp. 2. de Delict. c. 1.
n. 66.

Dub. 1. utrum vendi, aut pro censu anno locari possit Jurisdictio temporalis? *q. negative.* Et quidem si Jurisdictio ista habeatur ab Ecclesia, venditione tali Simonia committitur, ut dictum est tit. præc. n. 205. quia talis Jurisdictio censetur spiritualis dependenter, cum procedat, ac dependeat ab Ecclesia, vel ejus Capite Summo Pont. Suar. l. 4. de Simon. c. 20. n. 19. Barbof. in c. quoniam 2. b. tit. n. 4. Pirhing bic n. 3.

Si non habeatur ab Ecclesia, venditione quidem ejus Simoniaca non est, est tamen turpe, & illicitum lucrum: & quia ejus emperatores, & conduceores magis solliciti esse solent, ut pecuniam datam cum auctario, à ligantibus extortam recuperent, quam ut his tribuant jus, aut Remp. nocentibus purgent, ideo hujusmodi mercatus, tanquam redundans in gravamen subditorum, & Judiciorum perversiōnem, meritò damnatur. *c. quoniam cit. Novell. 8. pr. q. administrationes. Holt. in Summ. bic n. 1. Abb. in c. 1. b. tit. n. 1. Fagnan. in c. quoniam cit. n. 5. Gonzal. in c. 3. cod. n. 4. Zoel. bic n. 1. Pirhing n. 1. Wietfner n. 4. Reiffenstuel n. 1.*

Dub. 2. utrum Prælatus, cuius v. g. Monasterio Parochia, vel aliud Beneficiū incorporatum est, impune, & absque Simonia, à Vicario, ad id substituto, exigere, & accipere possit Pensionem annuam sub titulo *Absentia*, ut vocant? *q. affirmative:* quia eam non accipit pro concessa administratio-ne, aut Vicariatu, sed pro fructibus, tali Vicario relictis; cum enim fructus isti ex na-tura incorporationis directè ad eum Præla-

tum, & Monasterium, cui Beneficiū incor-poratum est, pertineat, & Vicario solum congrua portio, sive sustentatio debeatur, nihil prohibet, quod minus cum eodem Vicario, Prælatus tractare, & contrahere queat de integris fructibus ei relinquendis pro certa pecunia, quantitate annuatim sub nomine *Absentia*, vel alio quoquaque titulo solvenda. *Conf.* nam tale Pactum in sua natura est Locatio fructuum, possunt autem fructus Ecclesiarum, cum rei spiritualis rationem non habeant, ad breve tempus, scilicet triennij sine solennitate, & ad longius cum solennitate concedi, & locari etiam Laico c. fin. b. tit. junct. *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien. Trid. siff. 25. c. 11. de reform. Vallensi, bic n. 2. König n. 3.*

Dub. 3. quas poenas incurvant, qui contra prohibitionem illius Rubricæ, & textuum subjectorum, sub annuo Censu concidunt Regimen, & potestatem spiritualem, Prælaturis, Dignitatibus, Officijs, & Beneficijs annexam? *q. 1. tam dans, quam accipiens excluduntur ab Ecclesia, in cuius contumeliam res data, & accepta est c. consulere 38. de Simon.* 2. Qui dat pecuniam pro Officio, aut Jurisdictione spirituali, tale Of-ficium perdit, malè autem ita conferens amittit conferendi illius potestatem *c. præterea 1. b. tit.* 3. Dans pecuniam removetur à Cle-ro; Episcopus verò, pro illa conferens spiritualem Jurisdictionem, quandoque deponit, quandoque suspeditur ad tempus pro qualitate delicti *c. quoniam 2. b. tit.* *Gloss. ibid. V. Canonica.* Fagnan. in c. præterea cit. n. 1. Honor. bic n. 2. Reiffenstuel n. 5.

T I T U L U S V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

Principalis Rubrica præsentis intentio est determinare, num aliquid peti pro Licentia docendi possit: quod antequam exa-

minem, aliqua præmittenda sunt de Magistris, & Doctoribus, horumque Juribus, creatione &c.

S. I.

De Gradibus, & Honoribus Literariorum.

S U M M A R I U M.

- 1. 2. 3. Quot sunt Ordines Graduatorum?
- 4. &c. Privilégia, quibus gaudent Magistri, seu Doctores Theologie, Juris, & Medicinae.
- 16. &c. Ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu.
- 19. &c. Penes quos residet potestas illos creandi?
- 22. &c. Quinam creari Doctores possint?
- 28. &c. Quæ sit forma illos creandi?
- 30. &c. Quid observandum circa sumptus Inau-gurationis?
- 32. Ad Doctorum privilegia competant male promotis?
- 33. 34. An iisdem privilegijs gaudent Doctores Bullati?
- 35. 36. An Licentiati?